**Oratio initialis de legum naturalium vi et ratione, in usum artis chirurgicae atque obstetriciae prudenter adhibendis / [Meinard Simon du Pui].**

**Contributors**

Pui, Meinard Simon du, 1754-1834.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Murray, 1791.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/rsk3cmt6

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

# MEINARDI SIMONIS DU PUI

# ORATIO INITIALIS

DE

## LEGUM NATURALIUM VI ET RATIONE, IN USUM ARTIS CHIRURGICAE ATQUE OBSTETRICIAE PRUDENTER ADHIBENDIS

PUBLICE HABITA

*Die* XXVII. *Septembris A.* CIↃIↃCCLXXXXI.

QUUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA EXTRA-ORDINARIAM CHIRURGIAE PRACTICAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PUBLICE DOCENDAE PROVINCIAM SOLENNITER CAPESSERET.

*LUGDUNI BATAVORUM,*
APUD FRATRES MURRAY,
MDCCXCI.

26

Conſpecta ad Mechanismum adplicans abditas detegit harum partium virtutes.

Boerhaave Orat. *de Uſu Rat. Mech. in Med.*

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

# V I R I S

*PERILLUSTRIBUS* ET *GENEROSISSIMIS*,

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

C U R A T O R I B U S,

## GUILIELMO LUDOVICO BARONI VAN WASSENAER,

DYNASTAE STARRENBURGI, EQUESTRIS HOLLANDIAE ORDINIS MEMBRO, EJUSDEMQUE NOMINE IN CONSESSU DELEGATORUM HOLLANDIAE ORDINUM PRINCIPEM LOCUM TENENTI, AGGERIBUS ET VIIS RHENOLANDIAE CURANDIS PRAEFECTO, SATRAPAE DALEMI, ETC. ETC. ETC.

## GUILIELMO ANNAE L'ESTEVENON, J. C.

LIBERO TOPARCHAE IN HAZAARSWOUDE, CIVITATIS HARLEMENSIS NUPER SENATORI, ETC. ETC. ETC.

## PETRO HENRICO VAN DE WALL, J. C.

URBIS DORDRACENAE SENATORI ET CONSULARI VIRO, PATRIMONII PUBLICI, QUOD EX TRACTU HOLLANDIAE MERIDIONALIS, ET AGRO HEUSDANO REDIT, QUAESTORI SUMMO, ETC. ETC. ETC.

EO-

EORUMQUE COLLEGIS

*AMPLISSIMIS NOBILISSIMISQUE*

V I R I S,

*CIVITATIS LEYDENSIS CONSULIBUS,*

JACOBO BARTRAM
VAN DEN STEEN, J. C.
ACADEMIAE QUAESTORI.

SIMONI DROLENVAUX, J. C.
REI VENATICAE IN HOLLANDIA PRAEFECTO.

PETRO JOANNI MARCUS, J. C.
SOCIETATIS INDIARUM OCCIDENT. MODERATORI.

ADRIANO VAN HEUSDEN, J. C.

NEC NON

*GRAVISSIMO CONSULTISSIMOQUE*

V I R O

JOSIAE JOANNI HUBRECHT, J. C.
ILLUSTRI CURATORUM CONSULUMQUE
COLLEGIO AB ACTIS.

*HANC ORATIONEM VENERABUNDUS*

D. D. D.

MEINARDUS SIMON DU PUI.

# MEINARDI SIMONIS DU PUI

# ORATIO INITIALIS

DE

## LEGUM NATURALIUM VI ET RATIONE, IN USUM ARTIS CHIRURGICAE ATQUE OBSTETRICIAE PRUDENTER ADHIBENDIS.

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE.

PERILLUSTRES ET GENEROSISSIMI ACADEMIAE BATAVAE CURATORES.

NOBILISSIMI AMPLISSIMIQUE CIVITATIS LEYDENSIS PRAETOR; CONSULES; JUDICES; QUIQUE AMBOBUS COLLEGIIS A CONSILIIS ET ACTIS ESTIS, VIRI GRAVISSIMI.

PRO-

PROFESSORES OMNIUM DOCTRINARUM ARTIUMQUE CLARISSIMI.

QUI TRIBUNALI ACADEMICO AB ACTIS ES, VIR SPECTATISSIME.

VERBI DIVINI NUNTII SUMME REVERENDI, DISERTISSIMI.

MATHESEOS ET HISTORIAE NATURALIS PRAELECTORES ERUDITISSIMI.

DOCTORES OMNIS DOCTRINAE PERITISSIMI.

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUISQUE LOCO ET HONORE CONSPICUI.

VOSQUE IMPRIMIS, QUI AD HANC BONARUM ARTIUM MERCATURAM UNDIQUE CONFLUXISTIS, JUVENES PRAESTANTISSIMI, COMMILITONES PEREXIMII.

# ORATIO INITIALIS.

Quotieſcunque humani corporis Naturam penitius rimari cupimus, ad omne, quod in illo praeſens eſt, quodque ejus vi producitur, actionis phaenomenon attendamus neceſſe eſt.

Quo in examine ſolerter inſtituto, AUDITORES; dum admirandorum effectuum complexum actionumque, quae ex corporis fabrica & viribus profluunt, varietatem atque elegantiam ſtudioſius conſideremus, ad leges ratas atque immutabiles humanam, veluti reliqua corpora, conſtructam eſſe machinam facile cernimus.

Atqui duplex actionum genus in Homine cum obtineat; unum vigente ſanitate, alterum praeſente morbo; — atque utrumque ſuas habeat cauſſas viresque phyſicas, non tantum ſanitatis phaenomena viresque, quibus efficitur, ſed & illa, quae praeſente morbo, comparent, modum-

que, quo propriae ſaluti Natura proſpicit, conſiderare oportet (*).

Habet illa conſideratio duplicem uſum: demonſtrat quippe ab una parte, AUDITORES, *Naturam Humanam, ſtatis à* CREATORE *legibus finitam, per ſimilia individua ſeſe multiplicantem, omni tempore eadem, ſub iisdem conditionibus eodem ſemper modo agere ac pati* (**); ſed ab altera parte docet, Medici eſſe officium, dum medicamentis, ſive manu opem adferre conatur, ut has Leges, quibus humanum corpus regi comperit, ſedulo obſervet, atque in uſum practicum prudenter convertat.

Cogitatius hanc rem expendenti argumentum non incongruum fore mihi viſum fuit, ſi hoc feſto die, quo hac in Academia Chirurgiae Practicae atque Artis Obſtetriciae docen-

(*) Hoc HIPPOCRATI inter alia loca Lib. VI. de Morb. Vulg. Sect. V. §. 1 & 2., GALENO variis in locis; — omnibus. quotquot illos ſecuti fuerunt, agnitum eſt.

(**) Ill. GAUBII verba ſunt §. 20. Inſt. Path. Med.

cendae munus, in me liberaliſſime collatum, auſpicari licet, demonſtrare nitar, in exercenda utriusque, quam profitemur, doctrinae Praxi, non aliam, quam quae â cognitione Naturae proficiſcitur, inſtituendam eſſe normam.

Dicam igitur De Legum Naturalium vi et ratione, in usum Artis Chirurgicae atque Obstetriciae prudenter abhibendis.

Adeſte, Auditores, aequis auribus, animisque, ac meam in dicendo tenuitatem atque imperitiam Veſtra humanitate, aequitate & benivolentia, quibus ex loco hoc ſpectatiſſimo verba facturos excipere ſoletis, excuſare ne gravemini!

Quicunque ſtructuram corporis humani, illius ſolida ac fluida; — continentia ac contenta ob oculos ſibi poſuerit, atque ex eleganti partium fabrica actiones ejusdem conſideraverit, facile hanc mecum, opinor, ſententiam tuebitur, corpus humanum Corpus eſſe Phyſicum, & illius con-

ſtructionem *neque ad uſum meliorem*, *neque ad ſpeciem pulchriorem*, (*) fingi formarique potuiſſe.

Compagis igitur habita ratione, quaevis ejus particula, ſolida, fluida; — quodvis ex illis conſtructum organum; — totus Homo Legibus Phyſicis obtemperat, omnisque ejus fabrica, ad *Proportionis*, *Menſurae*, *Ponderis* aliasque Leges exacta, omnibus actionibus apprime reſpondet.

Quae de partium proinde *Proportione*; — de corporum *Gravitate* & *Æquilibrio*, *Motu* & *Quiete*, aliisque Legibus praecepere Phyſici, & in humano corpore, quae conſiderentur attentius, digniſſima ſunt.

Habent haec omnia tantam in Artis imprimis Chirurgicae atque Obſtetriciae uſu vim, ut in dignoſcendis, praedicendis, curandis, vel ſublevandis affectionibus eo felicius verſaturi ſint, qui Leges Phyſicas exactius cognoverint, harumque ad norman ſuas inſtituerint actiones.

Quae

(*) Ut ait CICERO de *Nat. Deorum l.* 2.

Quae quo clarius appareant, ſpectate mecum, AUDITORES, *Proportionis*, *Gravitatis*, *Motus* & *Æquilibrii* Leges!

Quicunque pulchritudinem & partium omnium noſtri corporis proportionem & in homine ipſo & ad hominem in picturis ſtatuisque, Veterum imprimis, pro diverſa aetate, mirari vel leviter edoctus eſt, hominum incrementum (giganteae molis an pumiliones ſupponamus) non opus Naturae tumultuarium afferet, ſed juxta leges ratas ab ipſo hominis rudimento ad plenam ejusdem perfectionem procedere, atque in illis geometricam adeo quidem ſervari proportionem, ut VITRUVIUS (*) olim ad normam proportionis, quae in homine eſt, aedificia componi voluerit, nec pulchra alias cenſuerit.

Et fieri aliter non potuit, AUDITORES, aut Legum Phyſicarum in corpore ſeries, inter hanc partium certa ratione evolutarum proportionem nexa & velut colligata, diffrange-

(*) Libr. 3. c. 1. p. 79 Ed. 1586. Lugd.

geretur penitus & diſſociaretur. Quae enim de Gravitatis, Motus & Æquilibrii totius corporis & ejus partium diverſarum Legibus mox notabuntur, evaneſcerent utique, niſi proportionis totius hominis & partium diverſarum inter ſe lex primaria & à Deo corpori humano foret indita & conſtanter eodem effectu notata.

Non dicam pulchritudinis hinc potiſſimum enaſci ſenſum, ſed, quod noſtrâ imprimis refert, inſignem Arti Chirurgicae adferri utilitatem ex hac lege rite perſpecta millena docent exempla.

Venuſta illa & quae ad actiones rite peragendas requiritur proportio ut in oſſium fracturis, extremitatum praeprimis, conſervetur, quanta non agi debet cura! — In his illa ſi negligatur, atque aut non ſatis, aut nimium extendantur partes, vel accurtentur membra; vel, callo intercreſcente, iis concilietur immodica magnitudo, peribit neceſſaria partium proportio, & deformitati, claudicationi aliisque vitiis cauſſam dabit.

Ro-

Rotula, orbis in genu figuram habens; Ulnae apophyſis (*Olecranon* vocant) ſuperior ad utrumque articulum & quas occupant cavitates proportionem habent demenſam: fac, fractis hiſce forte, neglecta proportione naturali, coëant longius; — turbata haec turbabit inceſſum proportio; — ex ordinata ſtabilem ante, ex inordinata vacillantem producet, eidem in altero genu vitio cauſſam dantem. Nec alia in cubiti articulo contingere debere ex hoc neglectu palam eſt: hujus enim proceſſus elongationem, articulo ejus non reſponſuram, & extenſionem & flexionem difficilem, vel rigiditatem ſecum ferre debere, quivis, harum rerum peritus, facile intelligit (*).

Mitterem, AUDTIORES, Legum harum *Proportionis* contemplationem atque ad alia tranſirem; verum ſi ad rationem, quae partum inter & partes par-

(*) Conf. de hac re SHELDON on the fracture of the Kneepan and Olecranon, London 1789.

partui dicatas eſt, attendam, huic ut paucis inſiſtam, ejus indicant utilitas atque elegantia.

In conſervando genere humano hanc Legem ſervari voluit omnium rerum AUCTOR, progeniem ut ſuam conciperet & ſtatuto tempore excluderet; — in millenis caſibus hanc partus excluſionem fieri feliciſſime videmus. Ergo ut huic legi ſua maneat ſtabilitas, utriusque menſurae, foetus matrisque, proportio requiritur.

Atque illud & ſeculorum praeteritorum evincit experientia, & in uſum humani generis quotidie convertit Ars Obſtetricia; nec in partu tantum naturali, ſed in praeternaturali has proportionis ſequens leges, naturam ex aberranti quandoque tramite, humani generis praeſentis & futuri commodo, reducit peritiſſime.

Scilicet in cadaveribus gravidarum viſcera luſtranti foetusque diverſo graviditatis termino in utero ſitum contemplanti patuit, ſuâ gravitate ex umbilico ſuſpenſum foetum capite deorſum inclinare; — increſcente foetu,

pla-

planitiem capitis lateralem gravidae vertebris imponi; — menti autem apicem, quia muſculi in capite infantis hac parte longius diſtant à centro motus quam in parte cervicis, & propter ipſam centri motus gravitatisque in capite diverſitatem, — propter, has, inquam, cauſſas menti apicem in pectus depreſſum contineri; — uteri oſtium ejusque cervicem pro ratione increſcentis foetus expandi, quo ſic, certa poſitione, nec ultra quam cervix extenditur, deſcendere queat, ſicque tandem obliqua hac poſitione ingredi aperturam pelvis ſuperiorem, donec ad demenſam perveniens magnitudinem in alterutrum impingat os Iſchion, ex quo, enatis partus doloribus, nullam à relaxatis partibus mollibus moram offendens, ſub pubis arcu foras, occipitio primum, dein, converſis humeris, ſub eodem toto pellatur corpore.

Cum itaque ab ipſo graviditatis initio ad finem usque Natura hoc in opere ſuo, iſtum modum, iſtam viam teneat, ac praeterea partium, quae partui inſerviunt, illa ad

foetum ſit apta proportio, ejusdem naturae Problema enucleatum eſt, Legumque in his obſervatarum conſtantia, perpetua fere ſemper (niſi foris adventitiae accedant cauſſae) explicita dilucide.

Atqui ſolers idem & indefeſſum examen in Pelvi id detexit: in hac quippe bene conſtituta menſuras agentes tales invenêre, ut in ſuperiori parte minima ſit, quae ex Oſſe ſacro ad Pubis oram duceret Diameter recta; major, hanc quae ad angulos interſecet rectos, maxima, quae inter utrasque intermedia, dum in ejus inferiori parte, ſive exitu, contraria obtineat ratio. — Atque hanc dimenſionem cum obſervâſſent, illamque rationem ad caput, totumque infantem comparâſſent, viâ, quam foetus in partu ſequitur, per obſervationem delineatâ, Naturae proceſſum illiusque agendi modum phyſicum feliciter detexere.

Haec omnia, AUDITORES, animo, qui ſenſu pulchri imbutus ſit, cum attendamus, quanta admiratione non abripimur! — quantique admirandam CREATORIS SA-

PIENTISSIMI providentiam aeſtimare non debemus, qui, haſce proportionis praeſcribens leges, & progeniei futurae habuerit curam & parturienti proſpexerit benigniſſime!

Qui de pariendi actu huc usque dicta conſideraverit, utilitatem in Embryulciam graviſſimam, ex Legum illarum Naturalium contemplatione, facile agnoſcet.

Ad hanc Proportionis normam, obſervatione fidiſſima compertam, qui in quacunque aberratione partus ſuam inſtituerit actionem, unum ſemper idemque tantum Problema phyſicum ſibi ſolvendum ſuſcipit, — illud videlicet, ut *cognita dimenſione & forma pelvis, foetus educatur, cujus volumen & figura patent, per vias huic reſpondentes & modo quidem, ſaluti utriusque, partus & parturientis, accommodatiſſimo.*

Quae quidem res quo fiat clarior, ponamus, AUDITORES, quod non raro accidit, exacto graviditatis tempore, doloribus obortis, maximam foetus capitis dimenſionem minimae ſuperioris pelvis diametro obferri; —

vel, alio in caſu, dorſum, abdomen, vel foetus latera ad uteri oſtium internum inveniri. — Quaecunque etiam Natura inſtituat molimina, irrita erunt, nec finem attingere deſideratum valebit. Hunc partum abſolvere Artis erit opus; — cujusnam autem? — talis nimirum, quae noverit rationem totum inter foetum, ejus partes, pelvisque dimenſiones varias; — talis, quae, naturalis partus ad normam, vel inſtrumentis, vel manu, vel utrisque ita in utero compoſuerit foetus poſitionem; — ita illam ordinaverit, ut partes tam matris quam, foetus apta ratione inter ſe congruant. — Hoc modo, Naturae errore correcto, aut illum educere ipſius valebunt molimina; aut arte, matre foetuque ſalvis, abſolvi partus feliciſſime.

Neque alio modo, quicunque etiam Embryulco in partu difficili & praeternaturali obveniant caſus, ſuam unquam inſtituat actionem oportet, ſed tali ſemper dirigat modo, ut in quocunque caſu, à naturali abludenti, artem experientiâ faciat, Naturae exemplo monſtrante viam.

At-

Atque ſic, AUDITORES, exemplis abunde conſtitit, quantae utilitatis ſit Leges coporis humani Phyſicas, quae ex *Proportione* & *Menſura* depromptae ſunt, obſervare & in uſum utriusque, quam profitemur, Artis convertere: Hinc ſuus utrique Doctrinae parti ſtabit honos; — hac viâ progreſſus fecit, facietque majores; — hac demum promotâ, promovebitur utraque Doctrina & in his Naturae miniſtros Chirurgos eſſe atque Embryulcos ut illis glorioſum, ſic utrique Arti proficuum erit quam maxime.

Pergamus nunc ad iſta commoda, quae in humano corpore Legum *Gravitatis*, *Motus* & *Æquilibrii* conſideratio praeſtat.

Humanum Copus, ex arbitrio CREATORIS, tali conſtructum modo, ut, erecto capite, pedibus inſiſteret, irregularis figurae cum ſit, formae variae, & gravitatis diverſae, tali modo fingi, formarique debuit, ut ſuum aequilibrium conſervare poſſet, inevitabilibus aliter expoſitum calamitatibus.

Et certe magnus olim BORELLUS (*), DESAGULIERIUS (**) aliique apta hunc in finem in humano corpore inſtituentes experimenta, comperere indubie, in homine adulto Centrum gravitatis commune (quod in omnibus corporibus ſuſtentatum omnes in aequilibrio tenet illorum partes, ut notiſſimum) in plano inveniri, quod cogitatione ex natibus ad os Pubis ducitur; idemque illud punctum recens natis & adoleſcentibus mutabile eſſe; — adſcenſurum, — deſcenſurumve pro aetate varia, ac lineam ea propter peragraturum, quae Umbilicum & Pubem inter ambigat.

Neque, AUDITORES, haec Centri communis gravitatis conſideratio ſola ſufficit; ad plenam praeterea aequilibrii cognitionem in homine erecto ad Lineam in corpore commentitiam adtendendum eſt, quae ita quidem illud dividit

(*) *De Motu Anim.* P^te. 1^a. Prop. 134.

(**) *Natuurk.* T. 1. p. 62. Nota 9. Tab. 5. fig. 8 & 9.

vidit, ut, quo, per ſuam ſtructuram, nimia materiae quantitate ad unum latus flectat, alterum verſus aequilibrio inclinet. — Haec linea, cum omnia puncta, in quibus diverſarum omnium noſtri corporis partium gravitas & ejus centra quaſi collecta ſunt, percurrat, ex uſu *Gravitatis*, *Inclinationis*, *Propenſionis* vel *Barocentrica* adpellatur.

Hujus Lineae ductum in corpore ut detegamus verumque & elegantem mechanismum eruamus, ejus *Catagraphum*, ejus *Imaginem obliquam*, ut vocat PLINIUS (*) contemplari debemus; quo facto, quae in hoc mechanismo conſpicienda ſit elegantia, prodibit tota. — Scilicet in cadavere, ſerrae ope, ita exacte dividatur corpus, ut ejus ſectio medium tranſeat caput, centra percurrat vertebrarum; os ſacrum pubisque perſecet, & vera ſic noſtri corporis forma, vera ejus figura perſpecta erit. — Ex medio nunc vertice demittatur linea, totum ex aequo corpus

(*) Lib. 35. c. 8. §. 34. p. 690.

pus dividens, tuncque illa generabitur, quam mox indicavimus, quaeque totius noſtri corporis gravitatis percurrit Centra.

At vero quasnam, AUDITORES, noſtri corporis partes hanc percurſuram Lineam creditis? — à vertice ad baſin capitis exacte interſecabit condylos, quibus *Atlanti* ſuperimponitur; — corpora tranſcendet vertebrarum colli; — extra eadem in pectore; — ſupra eadem in lumbis invenietur, & demum, pelvim & commune gravitatis Centrum dum interſecat, pedes inter terminabitur.

Quis haec attendens non videt, hâc lineae directione palam fieri, caput noſtrum trunco ita ſuperimponi, ut omni ex parte non aequiponderet tantum, ſed ejus & gravitatis & motus Centra conſpirent exactiſſime; — protrudi praeterea collum, poſteriora verſus cedere pectus, in anteriora iterum lumbos & in oppoſitam partem os ſacrum, quibus ſit, ut columna vertebralis non recta ſit ac ſtipitis inſtar rigeat, verum figuram accipiat flexuoſam, quam ad

Na-

Naturam elegantiſſime deſcripſit HIPPOCRATES (*) & hanc circa omnes in aequilibrio partes corporis?

Hactenus de *Æquilibrio* in homine ſtante: verum cum ad progrediendum etiam Natura corpus finxerit ad *Centrum motus* adhuc attendendum eſt.

Ad Oſſis ſacri latera (ut notiſſimum) in coxarum Oſſibus *Illud* invenitur; in harum quippe cavitatibus capita femorum, cruribus pedibusque conjuncta, tali locata ſunt modo, ut truncus ſuper haec & viciſſim haec ſuper illum facile moveri queant. — Ex harum cavitatum centris jam fictam ſi ducamus Lineam, priorem, *Gravitatis* ſcilicet, ad angulos interſecantem rectos, oſtenditur facile, in adulto illam *in Centro* gravitatis, in adulto claudicante, de quo mox, *ſupra Illud* & in infante *infra Idem centrum* inveniri.

Videamus nunc, AUDITORES, quae ex his Gravita-

tis,

(*) Lib. de Articulis p. 809 & 810. Ed. Foeſ.

tis, Æquilibrii & Motus Legibus in Praxi inſtituenda Chirurgica & Obſtetricia emolumenta redundent.

Qui exacto judicio ad haec fundamenta phyſica in humano corpore adtenderit, perſpiciet facile, noſtrum corpus, ſive quieſcat, ſeu moveatur, aequilibraturum, quamdiu *Linea* haec *barocentrica* in plano obambulet, quod latera pedum eorumque anteriores partes circumſcribunt; prolapſurum contra, hos ſi transgrediatur limites.

Quis non animadvertit, iisdem ac in adulto in infantibus inſtitutis experimentis, cum in capite medio non invenerit condylos; nec columnam vertebrarum flexuoſam, ſed rectam; — non os ſacrum excavatum, ſed omnia pelvis viſcera, in adulto ibidem collecta, abdomine contenta; — quis, inquam, his viſis, non intelligit, ex hac partium in corpore infantili egeſtate, evolutione demum perficiendarum (vel omiſſa etiam centri gravitatis contemplatione) ut caput erectum teneat ἀδύνατον eſſe; — ἀδύνατον ut progrediatur; — &, ſtructura partium cauſ-

ſam

ſam dante, ex Lege phyſica per annulos abdominales, aliis ſimul accedentibus cauſſis naturalibus, in Ramices infantes proniores eſſe (*)?

Quis ad infantum columnam vertebrarum, & locum, quem centra gravitatis motusque occupant, diverſum attentus non videt, quam male illis hi conſulant, qui *loris ductariis* infantes ad ſtandum & incedendum invitent, aut magis impellant, quam ad hanc legem exſequendam Natura corpus finxerit? — Prorepere manibus pedibusque ſinant, donec, Natura volente, congruat utrumque motus & aequilibrii punctum; — vel donec utrumque ſuſtinere, experientiâ magiſtrâ, didicerint. — Hoc ſi fecerimus, Naturae ſequemur inſtitutum & quae abhinc bis mille annis jam docuit ARISTOTELES (**) ſecundum Naturam comperiemus veriſſima. *Infantes* (inquit) *non erecti am-*

(*) Vid. Cl. CAMPER in Act. Harlem. T. VI. P. 1. p. 264.

(**) Vid. De Animalium Inceſſu Liber Cap. XI.

*ambulare poſſunt, quoniam omnes ſunt pumiliones.* — *majoresque & valentiores, quam dictet ratio, ſummas imis corporis habent partes: Procedente vero aetate infima majus accipiunt incrementum, donec ad juſtam perveniunt magnitudinem: tuncque erecti ambulare poſſunt.*

Nec alio, AUDITORES, principio, quam ex diverſitate centri motus & aequilibrii infortunia deducenda ſunt, quae toties infantibus accidunt, *Claudicationem* puta, non raro ex illorum geſtatione imprudenti oriundam: — Quis enim, his bene perpenſis, non videt, centrum motus, dum brachio ſuſtinetur infans, gravitatem corporis medii & ejus à centro gravitatis ad centrum motus ſuperpondium non raro efficere, dum recidit infans, ut vis inferatur articulis femorum, atque exinde inſanabilis producatur femorum luxatio, claudicatio perpetua?

Quod ſi utile ſit & neceſſarium, ut, quo noſtrum corpus ab injuriis tutum ſit, utrumque illud conveniat punctum, quam *incurioſe* ſe gerunt, *curioſae* caeterum, Mulier-

culae,

culae, quae tempore graviditatis tam prudenter corpus reclinant, quo foetus cum ſuo corpore aequipondium efficiat; — cum, ut forma ſcilicet evadat venuſtior, pedibus fulcra ſubmittunt vacillantia, adſcenſu gravitatis centri ordinem Naturae interturbantia.

Ludicra haec concederem atque elevationem illam artificialem (ut in Architectura pulchri ergo aſſolet) quo earum ſtatura eminentior & eurythmia compareat, condonarem, ſi Natura hunc ad modum ſeſe flecti fingique ſineret. — Verum vacillante inde oriundo greſſu cum non raro pronae ruant; — diſtorſionibus ſint obnoxiae; — rotularum patiantur rupturas; &, quod maximum, quo ſe fulcris ſuſtentent inſtabilibus, lumbos intropremant & inde diminuant pelvis ſuae amplitudinem, ut ſibi ipſis; — ut naſciturae proli non noceant, haec ſerio caveant & à Sapientibus, ut POSIDONIUS fere voluit (*), inventum ſutrinum diſcant. Huc

(*) Vid. SENECA in Epiſt. 90.

Hus usque, Auditores, Leges haſce in corpore, cui nullum ſit vitium, conſideravimus; at vero, ſi vitia adſint, quantopere & harum Legum Phyſicarum cognitio iis avertendis vel tollendis proſit, & quo modo in his ſeſe gerat Natura, paucis adhucdum circumſpicre haud abs re erit.

Mollities oſſium, quam, quia ſpinam dorſi maxime adficit, aut cum illius debilitate conjuncta eſt, Rachitin dicere ſolemus; — ille, inquam, oſſium morbus, tenerae aetati, proh dolor! frequens nimium, à quacunque etiam cauſſa ortus vitium parit, quo ſit, ut corporis ponderi ſuſtinendo imparia illa ſint ac incurventur. — Hanc Legum Naturalium in humano corpore vim perſpiciens Chirurgus quanta cura illos non dehortari debet, qui ad ingreſſum infantes incitantes praecociorem, in cauſſa ſunt, cur hac corporis gravitate curvaturas contrahant artus inferiores, nec Natura, nec Arte emendandas! — Hoc vitium qui cum cauſſa efficiente contulerit, in remediis roborantibus, frequentius datis; — in decubitu protracto & omnis in-

ces-

ceſſus abſtinentia curam inveniet mali & deformitatem avertet.

Nec prava haec agendi ratio, prava haec ad inceſſum incitandi conſuetudo venuſtam tantum hominis deturpat formam; ſed malorum majorum ſaepe cauſſa eſt: Qui ante dicta de pondere totius corporis in os ſacrum, cum ultima lumborum vertebra conjunctum, agente conſideraverit, hisque capitum femorum preſſionem in coxarum cavitates addiderit, oſſium praeſente mollitie, totidem inveniet cauſſas, cur in puellis, Legum Naturalium in humano corpore neglectu, Pelvim deturpent & dato tempore parturienti & partui intercipiant Naturae ſapientiſſimum propoſitum.

Et haec AUDITORES, ex penitiori Medicinae ſcientia deprompta exempla ſi vos convincendo imparia forte fuerint, ad vulgaria & quotidie obvia animum advortamus, & quid fiat in ſpinae inflectione morboſa *laterali*, vel *anteriori*, quae Σκολίωσις & Κύφωσις audit; — quid in inceſ-

ſus

ſus vitio, *claudicatione ex utroque latere*, paucis examinemus.

In priori vitio ad Lineam propenſionis adtendamus, quid in utroque illo contingere debet? — iſtud certe, ut ex Lege gravitatis, quicquid ſupra laeſionem invenitur, vel in latera deflectatur, vel in anteriora proclinet.

Ne igitur tali ſub conditione in terram proſternatur homo, in laeſione laterali, aut Naturae directione, aut Arte, in ſanam iterum inclinet partem; — in altero vitio in poſteriora rejiciat corpus oportet, quo flexuoſa ſic, & naturali quantumpote aemula, ſpinae forma redeat.

Et quod *Claudicationem* attinet: Quis eſt qui non noverit hujus inter cauſſas referri, ut femorum capita articulis elabantur ac ſede ſuâ mota in poſteriore parte inſiſtant Ilium? — Hoc ſi obtineat, benefica in tot aliis Natura huic quoque ſuccurrit, novasque ad hunc locum cavitates

for-

ſormat, quibus femorum capita ſuſtineri poſſunt (*); verum cum hoc infortunio accidit, ut nec motus, — nec gravitatis Centra conſpirent; — nec eodem in plano inveniantur, alia inſuper adminicula, iisdem phyſicis principiis innixa, in auxilium vocat Natura medicatrix.

Haec vitia ut reparentur, digitis pedum incedunt hi, Natura ducti, ac tarſo metatarſoque attollendis tantum, tamque perfecte Centrum gravitatis evehunt, quantum & quam praeciſe motus Centrum adſcenderit.

At ſic quidem efficitur, ut motus & gravitatis utrumque conſpiret Centrum, neutiquam ut coincidat: — Ergo protrudere lumbos atque oſcillando progredi tenentur, quo caveant, ne Linea propenſionis, nunc intra minus planum, à digitis pedum formatum, obambulans evagetur, & incedentis hominis ruinam proritet inevitabilem.

At-

(*) Vid. Cl. Albini. *Adn. Acad.* Tab. II. Lib. V. cum *Explic.*; Cl. Bonn *Deſcript. Oſſ. Morb. Theſ. Hov.* p. 18. Ejus adject. *Diſſert. de Callo* p. 164. 178. & alios Auctores.

Atque ſic nulla extranea ope, ſuis inſtructa viribus, haec vitia corrigit humana Natura; nec tamen ita tollit, ut aliquoties impoſterum non noceant: — Etſi enim vitio Claudicationis in tenera aetate muſculorum actione oſſium Iſchiorum tubera exteriora verſus emineant, pelvis inde poſtmodum evadat amplior & partus facilior; quoties ab altera parte in Sexu ſequiori, ex utroque vitio *Inflexionis Spinae* & *Claudicationis*, ſuperioris pelvis apertura vitia contrahit, quae in partu & Matri & Foetui mortifera ſunt!

Ex omnibus, quae attulimus, me quidem judice, abunde conſtare videtur, ſtudioſa Naturae obſervatione atque imitatione utramque, quam profitemur, Artem eſſe ſuperſtructam; nec aliâ, quam hac magiſtrâ edoctos veros fortunatosque fore Chirurgos atque Obſtetricantes.

Atque hic dum explicit Oratio, ex hoc loco, AUDITORES, in quem eſcendi, deſcendere liceret, niſi hujus Diei ſolennitas aliud implendum juberet officium.

VESTRA curâ, PERILLUSTRES ACADEMIAE BA-

TA-

TAVAE CURATORES, URBISQUE LEYDENSIS CONSULES AMPLISSIMI! VESTRA liberalitate, quâ ACADEMIAE dignitatem, celebritatem & decus augetis, voluiſtis, ut inſtituto, ante aliquot annos, NOSCOMIO CLINICO, nunc quoque & CHIRURGIA PRACTICA & ARS OBSTETRICIA ex profeſſo magis pertractaretur: Voluiſtis, ut ſic Juventuti Academicae & internos viſendi morbos & externa curandi vitia frequentior daretur occaſio; Artisque Obſtetriciae addiſcendae via *Domi* eſſet parata.

Utriusque Artis ſi conſideremus praeſtantiam, ampliſſimosque, qui inde redundant in omnes Hominum ordines fructus, ipſo in bene multis Reipublicae noſtrae locis fatali neglectu manifeſtiores, certe non poteſt non, quin bene de Scientiis, bene & cordate de Republicâ ſentientes novum hoc quam maxime probaturi ſint INSTITUTUM, VOBISQUE INSTITUTORIBUS laudes delaturi promeritas.

Quod autem, Viri Perillustres! unanimi ſuffragio, hanc mihi demandare voluiſtis Provinciam, intimo quidem voluptatis animum ſenſu perfundit; at mentem ſimul muneris ſuſcepti gravitate vehementer turbat ſollicitamque tenet, quâ maxime ratione Vestrae de me exiſtimationi defuiſſe non videar.

Quod ſi aſſidua in promovendis Academiae commodis diligentia, labores indefeſſi & quicquid intenſae conando vires valent, aliquam ſucceſſus ſpem faciant, erit quod animum mihi in hoc negotio perdifficili addere aliquem poſſit, ſiquidem in omnibus hiſce perferendis me nunquam defuturum aſſeverare auſim.

Pro tanto interim honore & beneficio ita me Vobis obſtrictum habebitis ut, *gratiam etſi referre non potero, certe habere* (*) nunquam obliturus ſim.

Ves-

(*) Cic. de Off. L. 2. C. 20.

Vestro patrocinio, Moecenates Optimi! me ulterius ne dedignabimini.

Vos, Viri Perillustres! diu incolumes ſervet ac ſoſpites Numen propitium, quo Reipublicae ſalus redintegretur, — quo Vestra ſub aegide Doctrinae hoc Palladium tutum ſit; — quo deſideratiſſimos, quos à tantis Viris exſpectant jure, fructus colligant Batava Reſpublica, Academia Leydenſis & Univerſus hominum doctorum Ordo; — & quo denique, poſt fatalem horam, quam ſero adventuram ſperamus, Vestra indelebilis ſit memoria & Belgarum in animis monumentum Vobis poſitum reperiatur, & aere & marmore perennius!

Ad Vos me converto, Doctrinarum Omnium Professores Clarissimi! — Inter caetera, quae Procerum benivolentia ex oblato munere mihi commoda ſpondeo, hoc certe magnum duco, ut Virorum eruditionis laude clariſſimorum conſortio dum frui licet, ex ditiſ-

ſima VESTRAE doctrinae copiâ utilitatis fructus mihi colligere poſſim optatiſſimos, VESTROque incitatus exemplo, conatus in opere, quod ſuſcepi, perferendo, tanto majores inſtituam, quanto longius à conſummata VESTRA eruditione ſcientiae meae tenuitatem abeſſe ſentio.

VESTRUM autem favorem & amicitiam uti humaniſſime expeto, ita utrumque omni officiorum genere demereri conabor.

VOS autem ut imprimis compellem, ARTIS MEDICAE ANTISTITES CLARISSIMI! jubet pietatis officium: Si VESTRI ingenii & doctrinae laus mihi, ut omnibus, nota dudum & celebrata; — ſi cognita VESTRA in Academiam merita muneris in me collati honorem eo inſigniter auxerunt, quod VESTRIS laboribus meam qualemcunque ad Artis pomaeria extendenda operam ſociare liceat, habet hoc ipſum, quod magnis etiam animis metum ſollicitudinemque incutere queat. — Meae igitur tenuitatis probe conſcius, dum penſum, quod ſuſcipio, intueor, animum

mum pene deſponderem, niſi in VESTRIS conſiliis auxilioque certum mihi ſupereſſe praeſidium perſentirem: Cumque tot aliis favoris & benivolentiae documentis, VESTRUM PLURIMI, me VOBIS in aeternum devinxistis, ut novum hoc beneficii genus caeteris addere non dedignaturi ſitis, pro VESTRO, quo erga me eſtis animo, auſim ſperare, confidere.

In VOBIS, NOBILISSIMI, ORNATISSIMIQUE JUVENES, PHOEBO DEVOTA PECTORA! denique deſinit Oratio. — Audiviſtis, quâ curâ VESTRIS ſtudiis almae hujus Academiae Moderatores proſpicere voluerint, effecerintque, ne pro Artis Medicae amplitudine, quâ hodie colitur, quod edoceri poſſet, deficeret quicquam: nec dubitabitis, opinor, ſi viribus maxime potentem, utilitate ampliſſimam, neceſſitate ſummam mecum conſideretis utramque, quae manu auxiliatur, artem, Medicorum illam attentione & ſolerti ſtudio digniſſimam habere ac ſuſcipere; utque turpi neglectu diu nimis derelicta & nutrice

ma-

male ſedulâ excepta, almae tandem Matri, MEDICINAE, reddatur, vehementer optare.

Talis ſi VOBIS ſtat ſententia, me *Commilitonem*, & ſi velitis, *Ducem* habebitis indefeſſum: — VOBIS ſtudiisque VESTRIS, quidquid in me eſt ſcientiae; — quidquid exercitationis; — quidquid virium nunquam non erit dicatum: Cumque veriſſime aſſeruerit TACITUS, quod *ad utilitatem vitae omnia conſilia factaque noſtra dirigenda ſint*, ita aliquando profuiſſe maximum mihi erit jucundiſſimumque laboris praemium!

# D I X I.